



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Ab. 52. j*



I. N. J.  
DISPUTATIO XXI.  
**SELECTARUM  
THESIUM  
JURIS CERTI & CON-  
TROVERSI**

Ex Tit. J. Quod cum eo qv. in al. pot. d.  
Nox. Act. & Si quadr. paup. fec. dic. iisq; Titulis  
π. C. Just. Theod. βασιλικ. & ῥ. respondentibus.

*Quam*  
P R Æ S I D E  
**JOHANNNE CHRISTO-  
PHORO Volk /**  
J. U. D. & P. Secund.

**GEORGIUS WILHELM. Neuman /**  
Schiffenburgo Pruss.  
**R E S P O N D E N S**  
publicè defender  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. cl. l. cc. LXXXII.

---

**REGIOMONTI,**  
**PRÆLO REUSNERIANO.**



**VIRIS**

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultis-  
simis, Doctissimis & Spectatissimis*

**DN. SAMUELI Linden /**  
Seren. Elect. Brandenb. Officiali Fisci  
meritissimo. &c.

**DN. JOH. SIMONI Mülich /**  
Ser. Elect. Br. Camerae Pruss. Collegæ &c.

**ET**

**DN. MICHAELI Stabbert :**  
Sereniss. Elect. Brandenb. rei in circulo  
Lithvanico & Sambienfi lignariae Secreta-  
rio, &c.

**PATRONIS ATQ; FAUTORI-  
BUS HONORATISSIMIS,**

Haec Studiorum suorum primitias in gratis-  
simi animi tesseram pro beneficiis collatis  
ea qua par est devotione offi-  
ciosè offert

**Georg Wilhelm Reimann :**  
Schiffenburgò Prussus.

I.  
**L**. 4. j. T. 7. 8. & 9. respondent π. L. 14. T. 1. 2. 3. 4. & 5. L.  
15. T. 1. 2. 3. & 4. L. 6. T. 1. & 4. C. Just. L. 4. T. 25. 26. L. 3. T. 41. C.  
Th. L. 2. T. 31. & 32. βασιλικῶν totus liber decimus octavus Lib. 60. Tit.  
1. & 5. ¶ L. 3. T. 25.

I I. Continentur in his Titulis 1. Actiones ex alieno ne-  
gotio veluti quod jussu Exercitoria institoria Tributaria de peculio &  
in rem verso t. t. π. & βασιλικ. Quod cum eo qui in al. pot. est neg.  
gest. eff. dic. t. t. π. & βασιλ. d. l. Rhod. d. jaēt. t. t. π. C. J. & βασιλ.  
d. Exercit. Act. d. Instit. Act. t. t. βασιλικ. d. Actione qua competit ad-  
versus Dominum patremvè cum scientibus eis, nec contradicentibus  
servus aut filiusfamil: eis obligantur cum quibus contrahunt t.  
t. π. βασιλ. & C. Th. Quod juss. & d. pecul. t. t. ¶ d. pecul. Cler. t. t.  
π. C. j. & βασιλ. d. instit. Act. & d. in Rem vers. t. t. C. Just. Quod  
cum eò qu. in alien. potest. est neg. gest. eff. dic. vel de pec. seu quod  
jussu aut de in rem vers. 2. Actiones noxales t. t. j. π. C. j. & βασιλ.  
d. Nox. Act. 3. Actio de pauperie t. t. π. & βασιλικ. Si quadr. paup.  
fe. dic.

I I I. Non tantum quis suo sed & alienò nomine conve-  
niri potest ex alienò Contractu actione non quidem diversâ & sepa-  
ratâ sed adjunctiâ quâdam qualitate aliis principalibus Actionibus ap-  
positâ veluti est Actio ex Empto quod jussu quæ datur ei qui cum fi-  
lio Servovè contraxit adversus patrem Dominumvè, cujus jussu vel  
mandato contractum est; sive per epistolam, sive nudis verbis, si-  
ve per nuntium, sive unò in negotio, sive generaliter, sive his verbis:  
*Quod voles, cum hoc Servo meo contrahere: in solidum sicut & is qui*  
contraxit, tenetur, nisi si Lex specialis aliquid prohibet. l. 1. π. &  
βασιλ. Quod jussu. In hoc casu quo mandante patre vel Domino  
cum Servo vel filio contractum, non est mandati Actio, sed Quod  
Jussu l. 1. § 3 h. t. Nullus vero Dominus ad reddendum debitum  
tenetur nisi convictus servo suo specialiter credi jussisse, neque enim  
sufficit Dominum absentem servos suos alteri commendasse, quia  
is qui commendat non mandat credi. l. si vero 12. §. 12. Mand. nec  
verbum commendandi trahendum est ad crediti causam, aliud e-  
nim est commendare aliud mandare, ita si quis in Testamento  
A 2 scripse-

cripserit, illum Tibi commendo, non ideo fideicommissum his  
verbis inducitur. Aliud enim est personam commendare aliud vo-  
luntatem suam fidei committentis heredibus insinuare *l. ii. §. 2. π. d.*  
*Leg. III. l. 12. C. d. Fidei C. Libert.* Requiritur quoque ut Dominus cer-  
tam pecuniam credi mandaverit. Id enim exprimunt verba *l. un.*  
*C. Theod.* Quod jussu: *Dominos ita constringi manifestum est. Actio-*  
*ne Prætorîâ, quæ appellatur quod jussu Si certam numerari præ-*  
*ceperunt Servo pecuniam.* Ex hâc lege conflata est *l. ult. C. Just.*  
*Quod cum e. qv. in al. pot.* ne alioquin collusioni Creditorum cum  
Servis aut actoribus in necem Domini locus esse posset. Simile  
temperamentum æquitatis adhibuit Prætor in exercitoriâ Actione,  
quæ datur adversus Exercitorem ad quem reditus omnes navis per-  
veniunt *l. i. §. 15. π. d. Exerc. Act.* de eò quod cum magistro cui totius  
navis cura mandata est *l. i. §. 1. b. t.* græce *πρωτος dictus*, vel Pro-  
magistro nobis quem magister sui magisterii vicarium præfert *d. l. i. §. 5.*  
ejus rei gratia cui præpositus fuit contractum est *§. 2. j. Qu. cum e. qv.*  
*in al. pot. l. i. §. 7. §. 20. π. d. Exercit. Act.* Et competit in solidum  
adeò ut si plures navim exercent cum quolibet eorum in solidum  
agi possit *l. i. §. fin. l. 2. §. 4. π. d. t. Pac. cent. 4. c. xvij. quest. 52.* Ne-  
que dividenda in plures obligatio, quæ in unius persona originem  
habet & ut in plures distringatur Creditor, qui cum uno contra-  
xit. His accedit altera ratio posita in utilitate navigationis, cu-  
jus tuitio ad Remp. pertinere dicitur, deciperentur enim qui cum  
magistro contrahunt, nisi is qui præposuit omnia ejus facta præsta-  
re cogere. Habet tamen hic regressum contra reliquos socios à  
quibus consequetur pro ratâ quod solvit societatis judicio. Ulpia-  
ni responsum sub censuram vocat Hugo Grotius *l. 2. d. Jur. B. & P. n.*  
*n. 13.* Vectorum quoque à convectori vel Magistrò navis negoti-  
um quodammodo geritur. Ei quippe qui se maris incerto unâ cum  
aliis vectoribus credidit maritimâque tempestate obortâ jactu mer-  
cium suarum in mare factò, in convectores alios actio datur ad a-  
gnosendam scil. jacturæ partem, ut ita quod pro omnibus datum  
est, omnium contributione sarciat. *l. i. l. 2. §. 2. D. d. L. Rhod. d. jact.*  
Huic *l. 2.* non adversatur *l. 14. π. d. præscript. verb.* quæ non largi-  
tur Actionem ob id quod merces in mare projecit. Nam si obja-  
ctas à se merces teneretur Domino mercium, cui eò factò nocuis-  
set.

set. Nunc autem tenetur tantum magistro navis, pro portione  
commodi quod ex eo jactu consecutus est. Contribuere debent  
non illi tantum quorum merces navem onerant sed & qui habent  
gemmas margaritas annulos pecuniam numeratam & alimenta.  
Merces jactæ æstimantur eo pretio quod emptæ sunt, servatæ quan-  
ti venire possunt *l. 2. §. 4. d. L. Rhod. d. jact.* Res autem jacta licet præ-  
supponat Voluntatem ex duobus malis minimum eligentem *Arist. 3.*  
*Eth. 1.* ob præsentissimum tamen naufragii periculum tanquam prin-  
cipium externum accedens pro derelictio non habetur ut fiat accipi-  
entis *§. ult. j. d. R. D. l. 9. §. ult. π. d. A. R. D. l. 21. §. 2. π. d. A. P.*

I V. Institoria Actio datur contra præponentem qui ali-  
quem negotiationi suæ præposuit si modo contractum secun-  
dum præpositionis formam *l. 1. §. 2. C. d. Instit. & Exer. Act.* haec  
enim præponentis fidem secutus videtur. Unde hæc Actio pro-  
pter paritatem rationis extenditur contra eum quoque qui mandavit  
alicui ut pecuniam mutuam sumeret in rem ejus *l. 5. C. d. Instit.* Et  
quamvis liberum sit vel præponentem vel præpositum ex ejus con-  
tractu convenire: non tamen ex adverso ex contractu Domini  
convenire ejus institorem potes. Non enim ut Institor in iis, quæ  
ex forma mandati agit, Dominum representat, ita institorem Do-  
minus, in iis quæ suo jure gerit. Ad hæc, non ut cum Institore  
contrahens, vili sæpe & ignoto fidem Domini sequi videtur; ita  
dici potest, contrahere quem cum Domino contemplatione Instito-  
ris. Nulla proinde ratio patitur jus hoc singulare extendi *Tulden.*  
*ad Tit. 25. lib. 4. Cod.* Institoria vero & Exercitoria eadem est cau-  
sa. Nam ut Exercitoria datur adversus eum, qui magistrum na-  
vi præposuit, ita etiam datur Actio Institoria adversus eum qui in-  
stitorem præposuit negotiationi vel tabernæ sive mensæ ut pe-  
rinde teneatur is qui præposuit institorem ex Contractu cum in-  
stitore inito ac si ipse contraxisset *l. 3. C. h. t.* Institor est  
qui tabernæ aut cuilibet negotiationi præpositus est appellatus ex  
eo quod negotio gerendo instet *l. 3. π. d. Instit. Act.* Per negotia-  
tionem quamcunq; rerum venditionem intelligimus, unde procu-  
rator qui præponitur rebus foenerandis non est Institor, in eum  
tamen utilis ad exemplum Institoria Actio datur *l. 5. 18. & 19.*  
*π. d. s.* Nec est Institor qui ad pecunias mutuo accipiendas consti-

tuitur. Parvi refert in Institoria & Exercitoria Actione quis sit. præpositus, ut in utraque detur; masculus & foemina, liber vel servus proprius vel alienus *l. 1. 2. § ult. C. b. t.* Item quis quæve præposuerit, & mulier præponens tenetur ex Contractu cum magistrò navis initò *l. 4. C. b. t.* quia in obligationibus principalibus mulier viro comparatur. Refert tamen plurimum an paterf. an filiusf. an liber? an servus præpositus sit? quando quaeritur contra quem danda sit Actio? Nec hoc tantum. Sed multa alia sunt singularia in Exercitoria propter necessitatem negotiationis introducta ut Exercitor non tantum teneatur præstare factum magistri, sed etiam ejus quem magister sibi substituit; quod non obtinet in institoria quæ non tenetur præponens nisi ex Contractu institoris solius, nam in Exercitoria interdum locus occasio res non admittant plenius deliberandi consilium *l. 1. pr. π. d. Exerc. Act.* Quod secus est in institore, quippe res patitur ut de ejus conditione quis dispiciat & contrahat. Ideo inspicienda est forma & conditio præpositionis, quæ Lege, quibus in rebus, ad quod usque tempus, quis velit cum institore tantum contrahi *l. 5. §. 11. π. d. Instit. Act.* Deficientibus Actionibus Institoria & Exercitoria datur à Prætore triplicis generis Actio & quidem sequenti ordine ut si negotium jussu patris vel Domini gestum sit, detur Actio quod jussu. Si absque jussu detur Actio de in Rem verso, si in rem Patris vel Domini versum sit, si neutrum Actio de Peculio: quarum quidem actionum tum hac tum aliâ experiri convenit. Utilior tamen cæteris est Actio quod jussu cum parentum vel Dominorum jussu filii aut servi contraxerunt *l. 1. π. quod juss.* ideo primo loco nos ordine J. servato de eâ egimus. Actio de in Rem verso datur ex Contractu filii vel Servi adversus Dominum vel Patrem quoties in Rem ejus versum esse desierit *l. 3. §. 7. §. 8. § ult. l. 17. pr. π. d. in Rem vers.* Regulariter huic Actioni locus est cum homo liber, qui in Rem vertit mandati Actionem habiturus est; & quoties Servus qui consumpsit, meliorem aut non deteriore Domini rem fecerit, & si mutuam pecuniam sumpsit ut se aleret & vestiret secundum consuetudinem Domini. Idem est & in filio. Sin. ad voluptatem opera fecerit, quæ Dominus facturum non erat: in rem versum non est, & licentiam permittendi Dominus habet ut ea sine domus injuria Creditores auferant, ne cogatur propter restitutionem



tionem domum vendere, quippe nec procurator citra voluntatem  
mandatumve Domini sumptus hujusmodi faciens repetitionem ha-  
bet *l. 3. §. 2. §. 3. π. §. βασιλ. d. in Rem vers.*

V. Actio de peculio datur adversus Dominum vel patrem,  
quatenus vires peculii patiuntur *§. 4. j. b. t. §. 10. j. d. Act.* Do-  
minus ex Contractu Servi, pater ex Contractu filii fam. tenetur pe-  
culiotenus. Qui enim cum filio contraxit duos habet debitores  
filium in solidum & patrem duntaxat de peculio *l. 44. d. pecul.* Est  
hæc Actio in personam ex Contractu & inter personales refertur *§.*  
*8. j. d. Act. l. 21. §. ult. π. d. pecul.* Ex causâ delicti agi nequit *l. 1. §.*  
*7. d. His qu. dejec.* nisi in quantum locupletior inde factus est *l. 3. §.*  
*pen. d. pecul. l. 3. §. ult. D. Rer. Amot.* Aliàs enim delicti publici no-  
mine Servi delinquentes tenentur *l. 2. C. d. Accus.* Ex delicto privato  
Servi est Actio noxalis in Dominum *l. 58. d. R. 7. t. t. d. Nox. Act.*  
filius vero familias exinde ipsemet convenitur *l. 1. §. 7. d. his qu. eff.*  
*vel dej.* non pater nisi quatenus inde auctum est peculium *l. 3. §. pen.*  
*π. d. pec.* Quamvis Actio hæc de peculio imitetur Actionis naturam  
in Rem, quod possessorem peculii comitatur *l. 32. §. ult. eod. l. 1. §. 7.*  
*D. Quand. d. pec. Act. Ann.* Sicut Actio ad Exhibendum personalis *l.*  
*3. §. 3. Ad exhib.* licet contra possessorem detur eadem *l. 3. §. ult.* Et  
Actio quod metus causa ex maleficio oritur, adeoq; personalis est,  
& tamen sequitur possessorem *l. metum 9. §. ult. l. 14. §. 3. §. 5. π.*  
*Quod met. ca.* Utilis Actio de peculio secundum *l. un. C. Tb. d. pecul.*  
datur Creditoribus ut si liber à rationibus fuerit quas regebat inven-  
tus Actor Servus procuratorve prædiorum, unde desumpta est *l. ult.*  
*C. Just. Quod cum eo qui in al. pot.* Nequaquam vero datur hæc A-  
ctio Creditoribus contra Rectorem Ecclesiæ de bonis Ecclesiæ tempo-  
re promotionis quæsitis. *c. 1. §. de peculio Cleric.* Hac Actione  
motâ deducitur quod Domino debetur, siquidem ignorabat. Si  
vero sciebat Servum in peculiari merce negotiari, velut extraneus  
in Actionem venit quæ inter Dominum & eos, qui cum Servo con-  
traxerunt pro rata portione lucrum distribuit qualiscunqve sit nego-  
tiatio *l. 1. D. d. Trib. Act. pr. βασιλ. d. Actione qua competit adver-*  
*sus Dom. patremve cum scientibus eis nec contradic. Servus aut fi-*  
*liusfam. eis oblig. cum quibus contrah.* Non verò potest Dominus  
hoc damnum deducere si servus sese vulneravit vel occidit vel præ-  
cipitavit

eipitavit *l. sed si damnum §. 7. π. d. pecul.* ex hac Lege male qui-  
 dam colligunt *αυτοχειραν* esse permissam, licet nonnulli etiam He-  
 bræorum sint, qui de Lege se non interficiendi unam causam excipi-  
 unt tanquam *εὐλογον ἐξαγωγῶν* si quis videat se deinceps victurum  
 in probrum ipsius Dei quo referunt Samsonis exemplum, qui in suo  
 corpore veram Religionem videbat esse derisui. In Christianâ quo-  
 que historiâ exempla legimus, similia eorum qui mortem sibi intu-  
 lerunt, ne tormentis adacti Christi Religionem ejurarent, & virgi-  
 num, quæ ne pudicitiam amitterent in flumen se jecerunt *H. Grot. 2.*  
*d. J. B. & P. 19. n. 5. Wissenb. π. Diss. 29. θ. 14.* Tributaria Actio est  
 Prætorialis quæ datur Creditoribus contra Dominum Ser-  
 vi in peculiari merce negotiantis si illam inter Creditores non rectè  
 diviserit, vel merces quasdam occultaverit *l. 7. §. 2.* Est autem hu-  
 jus eadem æquitas quæ Exercitoria, ut enim in iis præponens obliga-  
 tur exactu præpositionis, unde voluntas apparet: ita & hic Domi-  
 nus vel pater ex peculiis mercisve peculiaris concessione; Datur per-  
 petuò & in heredem de eò duntaxat quod ad eum pervenit *l. 7. §.*  
*ult. d. Trib.*

VI. Filiusfamilias Jure Civili regulariter ex omnibus causis  
 & Contractibus tanquam paterfam. obligatur ipse quidem in soli-  
 dum pater vero quatenus est in peculio *l. 39. d. O. & A. l. 44. d. pecul.*  
*l. 57. d. Judic. t. t. π. & βασιλ. Quod cum qui in a. potest.* Com-  
 petit hæc Actio ex negotio filiifam. sed quasi alieno patris scil. Nam  
 & si filius verè contraxit, tamen ratione utilitatis habetur ac si ipse  
 pater contraxisset. Etsi pater ultra peculium non teneatur tamen  
 illi qui cum filiofam. contrahebant imprimis respiciebant casum quo  
 filiofam. sui juris factus fuisset vel emancipatione vel morte patris.  
 Utroque enim casu bona accipiebat emancipatione scil. factâ pecu-  
 lium, morte vero patris ejusdem bona. Hinc si post Contractum  
 emancipatus sit aut exheredatus vel hereditate abstinerit, potest qui-  
 dem cum effectu conveniri, sed non nisi quat. locupletior factus est  
 ex obligatione cuius utilitas alteri erat acquisita *l. 2. h. t.* Sed SCto  
 Macedoniano excipitur mutuum ut si quis mutuum pecuniam, fi-  
 liofam. dederit, ei ejus pecuniæ actio petitioque denegetur *l. 1. D.*  
*Ad SC. Maced. Petr. Fab. t. Sem. ult.* putat hoc SC. esse latum Clau-  
 dio IV.

*dio IV. & Vitellio III. Coss. a. u. c. 799.* Sed contrarium testatur *Suer. in Vesp. cap. 11.* quamvis Claudii tempore aliquid eâ de re cautum fuerit juxta *Alex. ab Alex. 1. genial. dier. 7.* quod & *P. Ærodius rer. judic. lib. 4. Tit. 4.* innuere videtur sequens proponens *Exemplum:* *Pericles Xantippum* filium habuit contumacem in verecundum & prodigum. Is quia *Isandri* filiam duxerat neque ideo tamen majores ei sumptus à patre suppeditarentur adiit Amicum patris, à quò sub illius nomine pecuniam mutuam accipit. Hæc cum à *Pericle* exigeretur, tantum abest qui vellet solvere, ut contra, Creditorem in jus propterea vocaverit, quod filio in suâ potestate constituto, luxuriæ & incontinentiæ fomitem præstitisset, *hoc est*, pecuniam se incio credidisset. Patrem consulere debuisse: quia verisimile non erat, mandasse ut æs ab aliò sumeretur. *Item* quod Creditor se diceret Amicum patris, hoc ipso non potuisse ignorare quale esset ingenium filii, qui luxus, quæ nequitia, itaq; non modò perdituro credidisse, sed credendo, filium perdidisse alienum. Huic simile *Athenis* vetitum erat, quod longe postea *Romæ* sub *Claudio & Vespasiano* Imppp. prò filiistam. adversus sævitiam Creditorum constitutum est. Prædictæ Actiones repetuntur in Jure nostrò Provinciali *l. 4. t. t. 18. & 19.*

VII. Ex crimine & pænâ ipsi Servo irrogandâ non tenetur Dominus si modò absit ipsius delictum, quod si enim fortè jusserit Servum delinquere communi jure & quilibet mandans tenetur *§. 7. j. Mand.* Ex Actione vero & persecutione civili tenetur Dominus, sive jusserit sive ita sciverit Dominus & prò Imperio herili prohibere potuerit, quò casu tenetur acsi ipse deliquisset in solidam damni dati æstimationem, si vero ignoravit. vel cum sciret prohibere non potuit, vel Servus prohibente Domino quoque contumaciter deliquit Dominus Actione Noxali convenitur. Apud multos namque populos imputari solent, non illa tantum damna quæ cooperantibus Nobis per alios data sunt, sed & quæ citra positivum nostrum influxum à Servis aut pecoribus nostris profecta sunt *Exod. XXI. 28. seqq. Plato d. LL. l. XI.* Si Servus vel Serva alienæ rei offecerit, sive imperitiâ sive immoderatò aliquò usu id fecerit, nec qui damnum passus est causam præbuerit, Dominus ejus aut

B

fatis-

satisfaciat aut Servum Servamque illi qui damnum passus est tradat: Sicut & antiquissimum in eam rem exemplum extat apud *Sext. Aurel. Victorem d. Origine gentis Romanae de Evandro* qui furacem Servum Cacum Recarano Herculi noxae dederit, cujus ille boves furatus fuerat. Naturaliter utique Servus est obnoxius reparationi damni abs se dati, sed cum ipse nulla habeat bona, unde reparatio fieri queat, ejusque corpus Domini sit, æquum sane est, ut Dominus aut damnum resarciat aut istum dedat. Præsertim cum citra hoc Servo daretur licentia omnes pro libidine lædendi, si neque ab ipso nihil, & ne se ipsum quidem habet, neque à Domino reparatio damni obtineri posset. Nam si vel maximè verberibus ipsum vel carcere plectere ob læsionem Dominus velit læso inde haudquidquam satisfieri potest. Ratio cur hæc Actio noxalis vocetur est in *pr. j. d. Nox. Actionibus*, habet enim nomen suum vel à *noxa* vel à *noxia* quæ vocabula ab *Imp.* sic accipiuntur in *textu*, ut nota ipsum corpus quod nocuit scil. Servum, *noxia* vero maleficium sive delictum veluti furtum rapinam damnum injuriam denotet. Alio nomine solet hæc Actio vocari *adjectitia*, quia non est nova sed illa ipsa quæ alias ex delicto competit adjecta aliquâ qualitate v. gr. Actio *noxalis Furti Vi bonorum*, qua petitur quod petendum est *Actione furti Vi bonorum raptorum* quia hæc qualitas non immutat principalis Actionis naturam *arg. l. naturalem §. pavonum n. d. A. R. D.* sed in tantum efficit ut contra Dominum detur Actio, accidens enim non mutat rei substantiam. Hoc tamen peculiare & in hac Actione ut Domino condemnato permittatur aut damnum præstare & litis æstimationem solvere aut ipsum servum noxae dedere hoc est pro noxa relinquere & Actori cedere vel pænæ loco tradere. Itaq; non in solidum tenetur sed noxae deditio liberatur. Ideo extinguitur Actio si ante litem contestatam emerit servum qui Mihi furtum fecit, si vero post litem contestatam condemnabitur Venditor, quemadmodum si alii vendidisset, & præstabit æstimationem litis quia vendendo ademit sibi noxae deditio-  
*nem l. 37. §. 38. pr. π. Ἐ βασιλ. d. Nox. Act.* Si post litem contestatam noxali judicio noxius proclamaverit ad libertatem, judicium sustinetur, & siquidem servus pronuncietur peragitur, sin vero li-  
ber

ber extinguitur. *l. 42. in pr. π. & βασιλ. eod.* Quia vero hæ Actio-  
nes dantur ad damnum persequendum & ante judicati Actio-  
nem deditioe corporis litis æstimatio evitari potest, ideo Actio  
Noxalis movenda est alternativè, & ita etiam ferenda sententia §. *1. j.*  
*d. offic. jud. l. 6. § 1. d. Re jud.* Deditio namque operatur hunc ef-  
fectum, Dominum noxali judicio servi sui nomine conventum,  
Servum Actori noxæ dedendo liberari quia cum Dominus sit inno-  
cens, iniquam videbatur nequitiam Servi ultra corpus ipsius Domi-  
no damnosam esse, Dominus vero qui noxæ dedit, abjicit Ser-  
vum, ejusq; Dominium in alium transfert, quod tamen non con-  
sequitur novus Dominus irrevocabiliter, sed quoad damnum resar-  
ciatur, ita si Servus pecuniâ quæsità damnum ei, cui deditus fue-  
rit præparaverit, invitò Domino manumittetur §. *Dominus 3. j. d.*  
*Nox. Act.* Intentatur hæ Actio adversus eum qui Servum habet in  
potestate tempore Actionis intentatæ, ita ut si servus tuus noxiam  
& delictum commiserit, tamdiu tecum sit Actio quamdiu in tuâ  
potestate est, si autem in alterius potestatem post noxiam admis-  
sam pervenerit, cum illò incipit esse Actio quia noxa & noxalis A-  
ctio caput sequitur, nequiter enim factum semper durat & Reum  
comitatur & alioquin res transit cum suo onere & causa. Nec ob-  
stat sequens dubitandi ratio quia Actio noxalis descendit ex obligati-  
one Ergo est personalis Personalia autem non egrediuntur perso-  
nam. At non est simpliciter personalis, sed in Rem scripta quia i-  
psi rei inhæret & quemcunque possessorem Servi delinquentis sequi-  
tur. Hodie in nostris ministris hæ Actiones non obtinent, quia  
non servis propriè talibus, sed liberis hominibus utimur. Nam  
pænæ debent tenere suos authores *l. 21. C. d. pen. l. 33. §. 1. C. d. In-*  
*off. Testam.* imprimis quia deditio noxæ in liberis hominibus non  
obtinere *arg. §. 3. j. d. Nox. Act.* Quod si tamen famulus delinquat in  
officio *l. 1. §. 2. & 5. d. Publican.* tum & Dominus inde conveniri  
potest Jure Communi in totum *arg. d. l. 1.* Saxonico ad mercedem  
*Job. Herman. Stamm. d. Servit. person. l. 2. c. 13. 14. seq.* quod & Nos  
sequimur.

VIII. Si quadrupes damno quempiam affecerit datur Actio  
in deditioem animalis vel æstimationem damni *l. 1. π. & βασιλ.*  
*Si quadr. paup. se. dic.* Animalium nomine quæ ratione carent si-  
B 2 qui-

quidem lascivia aut fervore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis Actio L. XII. Tab. prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur proficiunt Reo ad liberationem, quia ita *L. XXII. Tab.* scripta est. Hæc autem Actio in iis quæ contra naturam moventur, locum habet, ut puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit. Cæterum si genitalis sit feritas cessat. Denique si ursus fugit à Domino, & sic nocuit, non potest Dominus conveniri, quia desit Dominus esse, ubi fera evasit. Pauperies autem est damnum sine injuriâ facientis datum *l. i. π. d. t.* Probabilis vero conjectura est Legem *XII. Tab.* ita se habuisse: *Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, tum Dominus aut litis estimationem solvito aut eam dedito.* Quam in Atheniensium Legibus sumptam esse verba quæ in Platonis libro prostant *l. ii. d. LL.* ostendunt. Si vel jumentum vel equus vel canis vel alia ulla quadrupes pauperiem alieno fecerit: eodem modò Dominus damnum farciat, ut cum Servus servave noxam nocuerit *Plutarchus* etiam in *Solone* scribit seqq. *Scriptit etiam Legem de pauperie quadrupedum, in qua caput hoc fuit, ut canis in quempiam momordisset quatuor cubitorum jugo vinctus dederetur quod ab ipso præclare & ad securitatem accommodatè excogitatum est.* Athenis etiam ligna lapides ferrum aliaque hujusmodi lege à *Dracone* lata, si delapsa hominem interfecissent urbe agroque exterminari: & rarum cognitionum causa *Erechtheo* regnante, Prytaneum potissimum institutum. Legimus apud Judæos taurum qui hominem occiderit lapidari ejusvè carnes projici, *Exod. 21. Plato lib. 9. d. LL.* In *Concilio Vormatiensi* jubentur interfici apes quæ hominem occidissent. Quapropter Romæ in honorem anseris qui cecinerat Gallos in limine adesse: argenteus positus est in capitolio, singulisque annis anseres, beneficii illius ergo, quod suo clangore capitolium conservassent ingrabatulo & gestariolò quàm decentissimè collocati publicè alebantur, & ea alimenta Censores inito magistratu continuo locabant. Ex adverso canes quod non latrassent veluti si id ob perfidiam atque per proditionem fecissent suppliciis annuis vivos afficiebant. Equos in campo Martio immolabant quotannis, Idibus Decembris, velut supplicii loco, quod *Romani* essent Ilio oriundi

riundi & Trojani effigie in equi captant. Omnes vero hæ pænæ in bruta animantia decretæ non propter reatum ad vindictam pertinent bruti animantis neque vitium ullum neq; Virtus *Arist. 7. Eth. 1.* sed ad exemplum, cum ob rei memoriam ne turpissimi facti memoriam refricet mortalibus *s. mulier. 15. q. 1.* tum ut homines eo magis à facinoribus abstinerent sponte, quæ in brutis animantibus animadvertissent vindicari.

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,  
Ausus tam notas contemerare manus.

Sed dignas tanto persolvit crimine pænas:

Et qui non tulerat verbera, tela tulit.

Quos decet esse hominum tali sub Principe mores.

Qui jubet ingenium mitius esse feris?

Ut è contrario *Tertullianus* adversus *Mariconem*, & *Clemens Alexandrinus lib. II. Stromat* Leges à Mose latas ne mater cum lætu sacrificaretur, ne obruretur os bovi trituranti & alia hujusmodi interpretantur benigne & humaniter erga ipsa animantia esse constituta, ut in pecudibus desiderata humanitas eo amplius in homines redundaret, quos pudere necessarium esset invicem uti sævitiæ & crudelitate quæ in brutis judicio damnaretur. *P. Ærod. rer. jud. lib. 3. Tit. 16. c. 1. & 4.* Jure Civili notatur motus in quadrupede non nisi qui contra naturam est qui etiam huic Actioni locum facit *d. l. i. b. t.* ubi *Ulp.* ait *Servium* ita scribere, tunc hanc Actionem locum habere, cum commota feritate nocuit quadrupes, & generaliter hanc actionem locum habere, quoties contra naturam fera mota pauperiem dedit. Ideoque si equus dolore concitatus calce petierit cessare istam Actionem. At si equum permulisset quis calce eum percussisset fore Actioni locum. Cujus loci sensum *Hottom. in Comm. j. ad b. t.* dicit esse hunc: Ut si equus cum permulceretur sæviret contra naturam sævire intelligatur: Si cum irritatur & cæditur, nequaquam. Quod cum ita sit pro dolore legendum esse dolone existimat. Porro motus contra naturam dicitur in mansuetis animalibus cum nulla extrinsecus oblatâ causa moventur, ut cum equus est mordax vel calcitro, qui vitiosus idcirco appellatur *A. Gell. 4. c. 2.* secundum naturam, cum causa oblata est, veluti si equus permulsus fuerit, aut bos rubeo panno irritatus *l. 50. §. ult. π. d. Furt.*


IX. Datur hæc Actio ei cuius interest, adversus eum qui eò tempore quò de damno quaeritur Dominus noxiæ quadrupedis erat ut aut noxa sarcatur aut quadrupes noxiæ dedatur, licet nonnullis casibus in solidam damni æstimationem fiat condemnatio ut si quadrupedem esse suam negaverit *arg. Auth. qui contra non num. pec. l. fin. C. d. R. V. P. & R. L. 6. T. 10. A. 4. §. 5.* aut alternativè condemnatus neutrum præstiterit *l. 29. §. 5. d. Her. pet.* Si quis equum flagellò vel calcaribus irritaverit is pariter in solidum te damno illatò obligatus est, nec deditio quadrupedis obligatur, nam tùm læsus actionem de pauperie habet non adversus Dominum, sed is qui equum percussit aut irritavit de damno dato convenitur *l. 1. §. 7. Si Quadr. paup. fec. di. P. & R. L. 6. T. 10. A. 4. §. 2.* Pari modo si ferox canis aut aliud animal alicui ducendum custodiendumque tradatur, & ab ipso ultrò solvatur, vel ejusdem dolò malò & crassâ negligentia effugiat atque ita alicui damnum det, non ipse Dominus tenetur sed servus cuius versutia vel negligentia culpâ canis effugit. *l. 1. §. 5. Si quadr. paup. fec. P. & R. d. L. T. & A. §. 3.* Si duorum boves inter se commisi sunt, videndum uter alterum provocaverit. Si bos provocans perierit, cessat Actio. Si vero qui provocatus erat, non cessat Actio; *l. 1. §. 11. π. h. t.* Si nulla esset provocatio, Lege divinâ animal quod deliquisset vendebatur & pretium inter utrumque Dominum dividebatur *Exod. 21.* Jus nostrum Prutenicum Provinciale *d. L. T. & A. §. 4.* observat si bos aries vel vacca vicini bovem arietem vaccam aut aliam quadrupedem cornupetat, cujus quadrupes initium invadendi fecerit? & si quadrupes, quæ primo alteram adorta est, perit vel damnum accepit, nulla eo nomine Domino ejus Actio competit. Si vero quadrupes quæ primo invasit, alteram occiderit, Dominus occisi animalis de pauperie agere potest. Sed etsi incertum sit, quænam quadrupedum primùm impetum fecerit, aut occasionem noxiæ dederit, tunc alter alteri dimidiam partem damni resarcire tenebitur. Si capra vites adroserit, equus prato damnum intulerit, non datur Actio de pauperie quia secundum naturam nocuit, sed Actio de pastu pecoris *ex L. 12. Tabb. sin alio impulsus Actio utilis L. Aquilæ cum quâ Actio de pastu concurrat locum habet l. ult. C. d. L. Aqu. l. 14. §. ult. D. d.*



*D. d. præscr. verb.* Sed si messem meam in herbâ immisissò pecore depastus fuerit, herbescens seges æstimanda est non matura. *arg. l. 27. §. 3. π. d. L. Aq. Menoch. 2. arb. cas. 149. n. 21.*

X. Verisimile est *L. XII. Tabb.* & Actionem utilem de pauperie etiam in cane locum habere, de quò etiam Plato locutus est *XI. d. LL.* & teste *Plutarcho in Solon. Ediles* insuper addidisse pœnam 200. solidorum si homo liber perierit, non vero in omnem casum, sed si canis ibi habitus qua vulgo iter fit damnum dedisset. Præter has ædilitas Actiones verò locum habet & Actio de pauperie, dicuntur enim Actiones dupliciter concurrere electivè ut ex pluribus Actionibus una tantum experiri liceat, & unâ in iudicium deductâ cæteræ consumantur, vel cumulativè ut omnibus experiri liceat aut simul aut successivè quod ipsum de Actionibus ex delictò & quidem habilibus terminis positis accipiendum est, quia nunquam plures Actiones præsertim pœnales de eadem re concurrentes alia aliam consumit *§. fin. j. l. Si quadr. paup. l. pen. π. d. O. & A. l. 2. π. d. priv. delict. l. 130. π. d. R. J.* Cur autem actio una de eadem re concurrens per aliam non consumatur à causa ex quâ petitur pendere existimat *Bachov. in Com. j. ad d. §. fin.* Certissimum juris principium est, quod de eadem re bis iudicium non redatur si res & causa eadem sit omnino consumptum est agendi jus & obstat exceptio rei iudicatæ. Sin sit eadem res in specie & alia causa Reus condemnatus ante jure repellet Actorem sed absolutus non repellet. Sin sit eadem causa & alia res rectè aget Creditor. Si in *§. fin. d. r.* eadem res in specie & eadem petendi causa intelligitur, falsa erit sententia hujus loci nec fieri potest ut rursus admittatur iudicium ubi utrumque & res & causa petendi eadem est. Quid si diversa sit petendi causa? v. c. Servum læsi, eundem postea rapui competit Actio *L. Aquiliæ* & vi bonorum raptorum. Videtur itaque quod hic dicitur de eadem re accipiendum non ut *Accurs.* de eodem facto & delictò, nam ex unò simpliciter delictò tantum una Actione agi potest, sed quod intelligat in eandem rem & citra eandem delictum commissum esse per plura facta & delicta; quanquam aliàs facta etiam à delictis separentur, quoniam aliquando in unum factum plura possunt incidere deli-

delicta v. c. si servum meum in mei injuriam quis flagellis ceciderit & ejus corpus hoc modo deterius reddiderit, est unum factum, sed duo delicta, injuriarum & damni dati injuriæ illationem in Dominum & simul fervilis corporis læsionem continet. Hæ itaque Actiones se non consumunt, si ea videlicet ex pluribus factis vel delictis oriuntur *l. 27. π. Ad L. Aquil.* Si vero ex uno factò delicto- que aut uno facto pluribus delictis diversæ Actiones oriuntur unâ electâ, altera consumitur, nisi si quid amplius in eâ fuerit *l. 1. π. Arb. furt. cas. l. 34. pr. l. 53. d. O. § A. Cujac. § O. 24. Hottom. ill. q. 29.* Hæc Actio non habet locum si serpentum & similibus animalium qualia circum foranei seu circulatorum circumferre solent, metu fortè damnum datum sit *l. ult. π. d. Extr. Crim. Treut. vol. 2. d. 2. θ. 4. lit. C. Lud. Well j. Disp. 16. θ. 9. lit. K.* Quanquam Treutlerus in citandò Covarruvia in *Clem. 1. p. 2. §. 4. n. 11. de homicidio casuali* aliquid humanitatis patiatur, quia ibi Covarruvios nullam serpentum facit mentionem, sed quæstionem proponit de eò qui habet ursum, leonem vel canem, an irregularis sit, si aliquod ex his animalibus hominem occiderit? Et respondendum existimat ex aliorum sententia non contrahi irregularitatem, si hæc animalia caute & bene ligata custodiat *l. 2. §. ult. π. Si Quadrupes pauperiem fecisse dic. l. item Mela §. item cum eò π. Ad L. Aqu. Innoc. Abb. & Dd. in cap. ad audientiam de homicid.* nec enim homicidium actu commissum absque voluntate & culpa imputari potest committenti, neque ex homicidio contingenti absque Voluntate & culpa oritur irregularitas *cap. si duo & cap. hi qui arborem 50. distinct. cap. significasti. in pr. & c. dilectus d. homicid.* Tandem suam opinionem subjicit & decedit, eum irregularem esse, si dicta animalia ursum leonem vel canem habeat ligata in via, vel in itinere aut in aliò locò publicò *l. hi enim l. & generaliter l. qua vulgo π. d. Edil. Edict. quarum meminit. Lud. Rom. in singul. 704.* ad hoc quod hic ultimus casus puniendus.



Kc 3004

ULB Halle

3

003 757 714



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter. 1  
Sammelbd. ? oder  
Inhaltliche Werte ?

von 125



N. J.

TATIO XXI.

CTARUM

ESIUM

ERTI & CON-

VERSI

um eo qv. in al. pot. d.  
lr. paup. fec. dic. iisq; Titulis  
ασιλικ. & ✕. respondentibus.

*Quam*  
ÆSIDE

E CHRISTO-

R O *Goltz* /  
, & P. Secund.

WILHELM. Neuman/

enburgo Pruss.

CONDENS

licè defender

TORIO MAJORI

. lbc. LXXXII.

FIOMONTI,  
REUSNERIANO.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

